

18. Porro controvertitur inter nos & illos, cui nam Natura, haec, de qua differimus, Exaltationis conditio competat.

19. Sacramentarij jugulum sibi peti hac questione cernentes, in eo latibulo cause suae praesidium collocant: ut dicant, Exaltationem istam competere Personae Christi: magis profecto sese implicantes quam explicantes.

20. Aut enim personae termino utramque Naturam intelligunt, aut divinam duntaxat.

21. Sin hoc: in Nestorianorum castris ipsos depugnare, manifestum est, quippe qui naturas in Christo nefarie discerpunt, & ex definitione Personae Christi, humanam Naturam sacrilegè secludunt.

22. Sin illud: consequens fuerit aut utriusque naturae respectu, aut alterius duntaxat personam exaltatam esse.

23. Sin utriusq;: vel nolentes fateantur necesse est, divinae Naturae etiam exaltationis ac perfectionis aliquid obtigisse. Verum sic sentientes in societatem ac impietatem suam rapit Arius: teste Leone Ep. 22. ad Flavianum.

24. Relinquitur ergo alterius duntaxat Naturae Humanæ videlicet respectu, Exaltationem hanc Personae Christi esse adscribendam.

25. Quam nostram sententiam Orthodoxa Antiquitas nullibi non confirmat, ostendens Divinitati

nitati